Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Prosphonesis ad Virum Magnificum atque Amplißimum Dn. Ioh. Ulricum Fridium, Jure-Consultum, & Reipubl. Argentorat. Consiliarium: Quem, cum Luctuosissimam Fratris, Maximi quondam Viri, heu nunc ...

Ledermann, Johann Kaspar

Argentorati, 1678

urn:nbn:de:bsz:31-135365

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

75 a
75 a

Προσφώνησις
ad

VIRUM

Magnificum atque Amplißimum

DN. IOH. VLRICUM FRIDIVM,

Jure-Consultum, & Reipubl. Argentorat. Consiliarium:

Quem,
cum
Luctuosissimam Fratris, Maximi quondam VIRI, heu nunc desideratissimi! mortem doleret;

Bono animo esse jubet

M. Johannes Caspar **Ledermann.**

ARGENTORATI,
TYPIS JOHANNIS WELPERI.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch
Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

SIc ergo infandi renovatas mente doloris
Cogimur attonitâ rursum memorare querelas;
Quas tulit, ut primos sortis sentisset iniquæ
Altera Fridiadum quondam, nunc sola superstes
Gloria, sed gemino luctu circumdata, casus?
Ipsius hæ surgunt de pectore namque querelæ,
Ipsius hæc tristi luctu nimioque repressam
Vix tandem possunt suspiria solvere vocem:
Nondum detonuit, nec adhuc discussa procella est,
Quæ nostræ domui impendet. Pars maxima nostræ
Non procul hinc adamata animæ, pars optima nuper
(Atque simul flectu rorantia lumina tergit)
Erepta est nobis. Animæ spes, altera pars jam
Nos etiam linquit, (verum incrementa dolorum
Hic arcent lachrymas) nostrum solamen, & omnis
Qui posset casus nostros, nostrumque peremptæ
Conjugis, ut gratos animus repetebat amores,
Ah! desiderium variis relevare subinde, &
Fallere blanditiis, mentemque reducere nostram
Numinis ad mentem; frater dulcissimus orbos
Nos linquit. Sic ergo suo, qui sanguine crudum
Vulnus adhuc posset nostrum lenire, refricto
Lethalem lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæcce equidem non inficior, dolor ipse quod ingens
Fraterni imprimis feriat Sensu intima cordis.
Ac alios hic nempe ferit. Nec, flebile funus,
Luctum communem Patriæ quisquis meminisset,
Temperet à lachrymis: Quid cives Inclyte Fridi?
Non fratrem, Patrem mage lamentantur, & hisce
Significare suos contendunt sponte dolores:
Si Tua cum nostris valuissent vota precesve,
Et Tu Fratre Tuo, sed nos potiremur adempto
Patre, & pro Patria viventi porro salute
Perpetuas grates olim libare liceret;
Non rerum hæc facies nobis præsaga futuri
Tam truculenta foret; Tanti prudentia posthæc

Summa

Summa Viri certè valuiſſet ſæpe juvare
Succeſſus rerum noſtros, & publica duræ
Detrimenta ſuo ſtudio prævertere eauſæ.
Heu qualis jactura eſt hæc! heu pallida magno
Ægritudo Viro, ſed tantæ triſtior Urbi.
Multum ergo in nobis eſſet, ſolatia ſi qua
Noſtra valere Tibi poſſent, animique dolorem
Demulcere Tuum, Tu qui fratrem, decus almum
Ipſe decus Patriæ luges, refricasque dolorem:
Si non Divini jamjam ſolaminis æqua
Portio de cœlis animo, velut aureus imber,
Inſtillata Tuo, pectus licet igne ſecundo
Tentatum & toſtum mœrore, refrigeret unda
Melliflua verbi Numen teſtantis amicum.
Cujus ubi placito nutu ſemperque benigno
Dependere ſcias, etiam quæ forte parumper
Proſpera, & adverſis fatis profecta videntur;
Concipis æterni ſolaminis argumentum.
Ac ideo ne cede malis, ſed fortior illa
Perfer, & ingentes animo quascunque virili
Ærumnas, & onus nunquam jactandum ab amante
Nec fruſtra impoſitum Domino, conſueſce ſubire.
Ille etenim obſequium noſtrum, fideique ſalubres
Exercet vires, & ſic impellit ad uſque
Tute triumphantis fias fortiſſimus Heros.
Tumque etiam tempeſtatis vehementior ira
Fracta repurgati cœli clariſſima reddet
Tempora; nempe fragor quando quam maximus urget
Jamjam detonuit. Sed vero Vulnus utrumque
Qui lenire poteſt, lenit, crudoque medetur.
Tu modo Te Patriæ ſerva, quæ fratris acerba
Morte ſatis gravium fuerat perpeſſa malorum.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch
Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST